



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digres. 30. De intelligentis animæ facultatibus, ad tex. com. 102.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

tasna; harum consequens fuerit obliuionem esse, non vniuersarum; immaterialium, incorporearum, & omnino earum, quæ sine phantasia intellectus intelligit.

Verùm alia quædam potest esse horum verborum expositio. Huic namque obijciat quipiam, & merito querat, vndenam nonerit, aut nosse potuerit Aristoteles, nos post mortem non recordari; neque illum potuisse hoc sine fundamento ac probatione accipere, sed nec ipse ait nos non recordari post mortem; sed absolute, non recordari. Cùm ergo agentem intellectu dixisset non aliquando quidem intelligere, aliquando autem non intelligere, sed intelligere semper, esseque immortalem & æternum; merito querit; cur ergo non recordamur interdum eorum, quæ maxime vellemus intelligere; neque resumere possumus intellectionem, quã iam habuimus? respondetque defectum phantasia esse, sine qua is intelligere nequit, alioqui appetus semper intelligere.

Cæterum apud Simplicium quidpiam est animaduersione dignum. Tantum enim abesse ait, vt illud (& sine hoc nihil intelligit) absolute accipiendum sit nihilque planè sine passiuo intellectu separatus intelligat intellectus; vt vel etiam quandiu in corpore degit, illudque viuificat; separabiliter aliquando viuat atque intelligat. Sic enim interpretatur illud, quod est in tex. 39. libri 12. Metaph. Quod semper est Deus, id nos aliquando sumus: vt cùm Deus semper sit separatus, nos si non semper, interdum certè naturalem adhuc hanc viuentes vitam, separemur. Namque nec ea philosopho fuit eo loco sententia, dum non de separata intelligentia loqueretur; sed de ea, quæ per disciplinas & scientias comparatur. Nec fieri potest, vt intellectus, qui est corporis actus & forma, recedat à corpore aliquando, ad illud mox reuertitur; aut in eo existens, extra illud operetur.

*Digressio xxx. De intelligentis animæ facultatibus.*

**H**ic de intelligentis animæ facultatibus aliquid dicendum est. Cùm enim præter intellectionem hæcenus nominatam, recordationem quoque commemorat Aristoteles; postulat locus, vt quot hæc anima virtutibus prædita sit, constitutur. Tres ferè ab omnibus numerantur; intellectus ad cognoscendum, voluntas ad appetendum, memoria ad reuoluenda & repetenda præterita, aut etiam intellectuum specierum conseruationem. Nec defuerunt, qui quartam adderent facultatem mouendi se loco; qua aut nunc vtatur homo quandiu mortalem hanc degit vitam; aut à corpore soluta de loco ad locum moueatur.

*Facultas motrix.*

Facultas motrix neque necessaria est neque vlla inesse potest. Enimvero vt homo nunc moueatur, satis est facultas illa motrix, quæ animæ sentientis est. Quippe vt ab ea mouentur animalia cætera, incedunt, atque de loco ad locum progrediuntur; ita & homo moueri potest, qui similibus planè, immò eisdem mouetur motibus, incedendo, saltando, currendo. Anima verò corpore liberata, vt impartibilis profusus est, sic neque in loco neque ad locum propriè motum habet vllum. Motrixque

A eiusmodi facultas conditione sua organica est & corporea; musculusque vtitur, neruis, & aliis huius generis instrumentis. Intelligens anima spiritalis est, inorganicaque & incorporea facultatibus natura suæ ac dignitati conuenientibus vtitur. Et quemadmodum locus corporatarum vtitur, Et rerum proprius est; sic virtus progrediendi ad locum, aut in loco sese mouendi non nisi corporeæ rei & quantæ, quæ locum occupet, esse potest. Neque in separatis intelligentis minus necessaria ratione virtus eiusmodi cogitanda est; in quibus nullam hæcenus præter intellectum & voluntatem agnouerunt philosophi.

**D**e memoria difficultas maior; tum an nulla sit, tum an à cæteris facultatibus distinguatur. Nam S. Thomas in 1. 1. Theologicæ sum. qu. 79. art. 6. & quest. 10. de veritate art. 2. & lib. 2. contra gentes cap. 74. eam sanè fatetur in intelligente parte nullam esse posse; quæ præterita recognoscat; quoniam præteritum vt præteritum, cùm significet esse sub determinato tempore, singulare aliquid indicat: singularia verò materialia pars intelligens non cognoscit; sed hæc ad sentientem pertinet. Alio tamen ponitur necessarium esse contentum, vt cognitarum rerum species conseruet. Scabioris quippe & immobilioris naturæ est intellectus, quàm sit natura corporea & materialis: quare si in corporeo & materiali sensu conseruantur species, multò magis conseruari eas in intellectu credendum est. Atque huc adfert illud philosophi in tex. 8. cùm intellectus fuerit singula factus, hoc est rerum omnium speciebus imbutus, vt sciens dicitur, potestque seipso operari. Et illud in 8. lib. Phys. tex. 32. antequàm didicerit homo, potest esse sentientia est ad scientiam; egetque motore, à quo reducatur ad actum; postquam verò didicit, ipsemet operari potest: nimirum quia rerum, quas didicit, species in memoriæ thesauro conditas habet. Dux tamen duntaxat intelligentis animæ facultates, intellectum, & voluntatem; neque memoriam ab intellectu facultatem diuersam esse fatetur idem ipse S. Doctor in art. 7. eiusdem questionis 79. Propterea quòd eiusdem facultatis sit, tum suscipere species, tum conseruare susceptas; illaque ipsa tum intellectus dicitur vt suscipit, suscipiendoque intelligit; tum memoria vt conseruat.

Verùm hæc S. Thomæ sententia duobus principiis nititur, quæ minis vera esse videntur, vt in superioribus disputationibus conclusum fuit. Alterum est, intellectum non cognoscere singularia materialia. Alterum, cognitionem, tum sensus, tum intellectus, fieri per species, tum sentiles, tum intellectiles. Quod memoriã ab intellectu noluerit facultatem esse diuersam, philosopho magis est consentaneum, qui nec sentientem memoriã à phantasia distinxit. Sed ratio illa non probabitur; quòd eiusdem sit suscipere & conseruare: verum illa potius, quam exposui, cùm de sentiente memoria ageretur; quòd quæ facultas primum cognouit, potest post rursus rem eandem cognoscere.

At enim alij non pauci tertiam voluerunt esse facultatem ab intellectu & voluntate sine forma, siue etiam re distinctam; quæ non species modo conseruet, sed præterita quoque recognoscat. Inter hos fuit Scotus in 4. sentent. libro dist. 49. quest. 3.

Antiquiores tamen video intelligentem omnem memoriã

memoriam negasse. Duasque apud illos reperio causas. Altera fuit Auicennæ in 6. naturalium: quod **A** in sensu quidem, cum non in anima, sed in cerebro aut spiritu, suscipiantur species; facultate aliqua illarum custode opus sit. At in intellectu nulla esse queat: quia cum sit inorganicus, quidquid in eo suscipitur, actu intelligitur; & ubi definit is intelligere, definit quoque species; rursusque intellectus conuertere sese debet ad intellectum agentem, à quo nouam accipiat speciem. Altera potior veterum peripateticorum, tum Græcorum, tum Auerrois: quoniam memoria, vt est in libro de illa cōscripto, per se sentientis est partis, intelligentis non nisi ex accidenti. Memoria, inquit, ea, quæ est intellectiuium, non sine phantasmate est; quare intelligentis ex accidenti utique erit, per se autem primi sensitiui. Itaque & aliis quibusdam inest animalium, & non solum hominibus. Si autem intelligentium partium esset, non utique inest multis aliorum animalium, fortasse autē nulli mortaliū. Ex eo namque quod intellectiuium memoria non est sine phantasmate, aliique itē non intelligentibus animalibus inest; eam colligit intellectus non esse, nisi ex accidenti, per se autem sensus. Omnem enim recordationem nostram intelligentem pendere vidit à phantasmate, sicut & intellectionem omnem, quando anima est in hoc corpore; cessanteque phantasia actione memoriam omnem extinguit. Atque hanc ob causam animam separatam dixit non recordari, quia corrupta est phantasia.

Sed ne sentientem quidem memoriam facultatem esse credidit à sensu, phantasiaque diuersam, sed passionem illius quandam, vt iam pridem demonstratum est, vbi de interioribus sensibus agebatur. De specierum conseruatione, si eas esse concederemus, in intellectu dixit, eas suscipi huncque formarumque locum esse. Quare si vlla sit memoria, siue specierum conseruatio, siue præteritorum cognitrix; ea nil aliud fuerit, quam intellectus. Sanè præteritorum recognitionem experitur vnusquisque in seipso: nec materialium modo rerum, quæ ad sensum item spectant, sed & immaterialium, quæ intellectus proprie sunt. Recordamur enim scientiarum, intellectionum, & volitionum præteritarum; nosque voluisse intelligere, intellexisse, & recordatos fuisse; atque aliorum eiusmodi. Nam si sensus rem antea cognitam recognoscere potest, quidni intellectus possit? Hæcque recognitio recordatio est. Neque hanc vim recognoscendi præterita philosophus ignorauit, qui intellectum in habitu posuit, qui singula factus intelligere posse vbi libuerit. Sed quoniam in his recognitionibus non minus, quam in primis cognitionibus, intellectum vidit à phantasia pendere illiusque phantasmatis vti: propterea memoriam affirmavit per se primum sensitiuum esse, tum intellectiuium: quia primum operari oportet sensum, phantasiaque rursus phantasmata fingere, deinde recordabitur intellectus. Et intellectiuium quorūdam nos recordari scripsit, vt triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales; ope scilicet phantasia subministrantis trianguli simulachrum. Hæc memoria corruptibilis illi fuit, qua non vtatur amplius anima separata. An verò aliam habeat, qua sine phantasia recordetur; apertè non docuit; vt nec aliud quidquam, quod ad eam animæ statum pertineat: ex eius tamen principiis colligitur; tum

quia intellectionem cognouit operationem esse animæ propriam nequaquam pendente à corpore; animamque à corpore separabilem esse hoc argumento conclauit, quoniam propriam hanc operationem habet, quæ sine corpore retinere potest. Hinc verò consequens est eam à corpore separatam hac omnino operatione vti; eaque ipsa recognoscere posse, quæ antea cognouerat. Siquidem in sensu quidē memoriā iudicauit facultatē aliquā esse, sed cognoscentis cuiuspiam facultatis passionem aut habitum. Tum verò quia scientiarum habitus firmiter in intellectu hærentes posuit, quorum ope intelligat quandocumque voluerit: hi verò in intellectu separato conseruati plurimarum saltem rerum, quarum habitus sunt, cognitionem mirum ac recordationem parient. Re ipsa verò constat separatam animam eorum recordari, quæ in hac vita gessit; siue bona fuerint, siue mala; propter quæ aut præmio afficitur aut pœna. Etsi enim vt in sentiente, ita & intelligente parte, memorandi facultas nulla sit à cognoscente diuersa: intellectus tamen tum intellectus dicitur, cum primum intelligit; tum memoria, si rem antea cognitam recognoscat.

Due igitur supersunt intelligentis animæ facultates, intellectus & voluntas. Quas Durandus in *Intellectus & voluntas* sent. lib. dist. 3. & Antonius Bernardus in lib. 25. euerisionis singularis certaminis, vnicam esse facultatem iudicarunt, quæ duplicem promat actum; & per se primum intelligat, 2. loco velit: non secus ac idem calor per se primum calefacit, 2. loco rarefacit. Et fauere videtur illud philosophi in tex. 29. appetens & fugiens, neque inter se, neque à sentiente differunt: eodem quippe modo intellectus & voluntas se habent, quo sensus & appetitus sentiens. Quin etiam non sensus se habet cognoscere in animatis, quam esse in inanimis; in his autem esse ab illorum appetitu naturali non distinguitur, sed idem est esse graue & appetere inferiorem locum; neque materia & appetitus eius distinguuntur: eadem igitur in animatis fuerit cognoscendi & appetendi facultas. In sensu autem presenti eandem esse cognoscentem appetentemque virtutem, hæc fuerint argumenta. Tum quod tot alioqui oporteret ponere appetitus, quot sensus; tum quod sensus vnusquisque proprio & conuenienti sibi obiecto delectatur, tristaturque non conuenienti; delectatioque & tristitia in appetitu versantur. Denique si due diuersæ facultates essent, posset nimirum Deus efficere, vt voluntas absque antecedente vlla intellectu cognitione vellet: quod voluntatis natura non patitur, quæ non nisi ad aliquid cognitum moueri potest.

**E** Video tamen cæteros omnes duas distinguere facultates. Nam & Aristoteles ratione saltem ac forma distinxit in textu 22. libri 2. & tex. 29. libri 3. ab aduersariis citato: idem enim subiecto esse affirmavit, at definitione differre; esse, inquit, aliud est. Tum verò in tex. 34. 50. & 52. & si facultates ex obiectis & actionibus iudicandæ sunt, ad sunt obiecta diuersa, verum, & bonum; actionesque diuersæ, intellectio & volitio: immo & oppositæ, siquidem intellectione res intellecta in intellectum transfertur eique fit similis; contrā volitione homo volens mouetur in rem volitam eique assimilatur. Verum intellectus dirigit voluntatem, quodque dirigitur, ab eo, quod dirigit, distinctum esse

oportet, neque voluntatem necesse est intellectus ductum ad determinationem sequi; sed reluctari & repugnare potest, & cique imperare, vt & operetur aut quiescat; & secus ratiocinetur agendumque concludat, quam antea concludisset. Atque vt cetera prætermittam, ex sensu appetituque sentiente argumentum sumas. Eos namque distinctas esse virtutes, ex diuersis, quibus vtuntur, organis manifeste cognosces. Appetitus .n. viget in corde; sensus, interior quidem in cerebro, exteriores autem in oculis, auribus, ceterisque patentibus corporis partibus operantur.

Neque de animatis iudicium ex inanibus rebus faciendum est. Quoniam appetitus naturalis elicitem actum ab actu naturalis virtutis diuersum non habet; quemadmodum habet hic, de quo loquimur, animalis aut rationalis appetitus. Atque in sentiente parte plures sunt cognoscentes virtutes, appetens vnica: quoniam cognitio fit suscipiendo & assimilando sibi obiecta, hæcque receptio & assimilatio pluribus modis debebat fieri: appetitus autem progressio est ad rem vt est in se; quæ vnico modo fieri poterat. Delectanturque singuli sensus conuenienti obiecto; sed hæc delectatio naturalis est, perceptionem obiecti consequens, atque in intellectu quoque absque voluntatis actu reperitur. At elicit delectatio propriam quandam & ab aliis distinctam postulat facultatem, quæ illius principium fit. Neque hæc vilo modo appetere suumque actum elicere potest sine facultatis alterius cognitione; quippe illius obiectum est obiectum cognitum.

An verò re ipsa an forma duntaxat facultates hæc distinguantur, siue in intelligente, siue in sentiente parte; iudicandum erit ex iis, quæ de facultatum distinctione in 2. lib. vniuersè fuerunt disputata.

Vtra porro earū alteri præstet, intellectu vsue voluntati, an voluntas intellectui; inter multos sanè ac præcipuè inter S. Thomam & Scotum video disputari. Sed qui partes intellectus tuentur, verisimilia loquuntur. Et quidem philosophus aperta oratione intellectum pronuntiauit altissimam esse ac diuinissimam in nobis & omnium optimam facultatem. Nam vt mittam illud in 2. lib. de animalium ortu cap. 3. Mens sola diuina est. & 7. polit. cap. 15. Ratio nobis & mens naturæ finis, nihilque in homine melius, & 1. de an. tex. 82. impossibile est aliquid esse melius & præstantius intellectu & in 1. metaph. cap. 1. & 2. & alibi, theoreticas scientias longè practicas præstantiores esse. Ita is loquitur in 10. lib. de moribus ad Nicomachum cap. 7. dum de hominis felicitate disserit. Si verò felicitas est ex virtute operatio; consentaneam eam ex illa esse, quæ præstantissima est. Hæc autem eius erit, quæ est optima. Siue igitur id intellectus sit, siue aliud quidpiam, quod sanè secundum naturam principatum obtinere & præsidere, notionemque de honestis ac diuinis rebus videtur habere: siue diuinum quiddam & ipsum sit; siue ex iis, quæ in nobis sunt diuinissimum: huius secundum propriam virtutem operatio perfecta felicitas esset, quam esse theoreticam dictum est. Atque hoc tum cum superius dictis, tum cum veritate consentiens esse videtur. Nam & præstantissima est hæc operatio: quippe cum ex iis, quæ in nobis sunt, intellectus huiusmodi sit: & ex iis, quæ in

*Cur plures sensus, & appetitus vniuersi.*

*Intellectus an voluntate melior.*

A cognitionem cadunt, illa circa quæ intellectus versatur. Et in 12. Metaph. libro tex. 39. Intellectio secundum se eius est, quod secundum se optimum est. Quare vt supremam & summam felicitatem nostram in eiusmodi operatione agnouit in 10. commemorato libro; ita in hæc Dei ac primi principij vitam, perfectionem, ac felicitatem ponit.

Eustratius verò prioris loci interpretationem faciens non solum præstantissimum, supremum, excellentissimum & optimum eorum omnium, quæ in nobis sunt, intellectum esse inculcat: verum etiam duplicis felicitatis, theoreticæ & actiue, virtutis argumento. Theoretica namque felicitas, quæ intellectus actione constat, melior multò est ac præstabilior, quam altera illa, quæ moralium virtutum & voluntatis operatione vitatur. Huius enim vt inferiori altera vt superiori ac diuini superuenit. Fieri quippe non potest, vt intellectualis vita in aliquo sit, qui moralibus virtutibus affectus suos prius non fuerit moderatus, antequam in civili felicitate non vixerit. Itaque rectè affirmari dicit, actiuam virtutem felicitatemque idoneam esse materiam ad theoreticam felicitatem suscipiendam; theoreticam autem velut illius mensuram & finem; qua præstantius nihil in homine reperiri possit. At quid opus est felicitatem duplicem commemorare? Absolutè pronunties, in intellectu operatione aut solam aut certè præcipuam hominis felicitatem versari: neque si sola esse posset voluntatis operatio absque intellectu actione, beatitudinem vllam fore: quæ sanè constaret maximè, saltem incomplete, si absque voluntatis actione intellectus operatio foret.

Licet & ex vniuerso genere argumentari. Vniuersum enim cognoscentium genus magno opere præstat non cognoscenti; tum animalia plantis, homoque animalibus mutis; tum sensus appetitui, intellectus voluntati, & omnino facultas omnis cognoscentis appetitui sibi confori. Appetitus enim cæcus est & præcurrente indiget cognitione, quæ appetendam ac querendum proponat obiectum: at cognitrix facultas appetitui non eget vt suum promat actum, sed ipsa sibi sufficiens est: & quiuis natura duce intellectus potius quam voluntatis actiones eligit, quoddam prima sit intelligentis naturæ proprietates; neque illius operatio à voluntate pendeat, quemadmodum contra voluntatis actio sine intellectu antecedente actione esse non potest. Immo intellectus principium existit & radix libertatis illius, quam in voluntate tantopere illius patroni admittantur. Omne cognoscentis, inquit Simplicius in comment. textus 42. & 43. huius tertij libri, simpliciter loquendo præstantius est appetente illo, quod sibi cognatum est; cum appetens indiget semper cognitione ad hoc vt appetat; cognoscentis verò nulla in re indiget eo ad hoc vt cognoscat. Atque hoc est vnum Simplicij argumentum.

Alterum etiam subiungit ex eo ductum, quod cognoscentis facultas dirigit appetitum. Ipsum, inquit, cognoscentis videtur dirigere appetitionem secundum naturam: quandoquidem quod rectè appetere debet, rectitudinem eam prius cognoscere debet. Appetitus verò videtur cogere cognitionem.

gnitionem, quando cum appetens praecedit & A in ea tendit, in qua non oportet, cogit cognitionem machinam aliquam excogitare ad appetenda ea.

Denique ex Platonis in Philebo sententia id ipsum ostendit; qui appetitum generationis infiniti esse dixit; quoniam in voluptate, ad quam is proclivis est, reperitur magis & minus: intellectum autem & cognoscentem virtutem esse finiti, cum certi cuiuspiam sit: finitum autem infinito praestantius est. Sed Platonis hanc ratiocinationem mittamus.

Potior est Auerrois illa ( iuvat enim nunc peripatetica magis sectari ) in extremo capite septimo libri Moraliū 10. Quod cuique natura proprium est, id ceteris omnibus, quae in ea sunt, praestat: sed maxime proprium homini est intellectus, quo & homo est, & ceteris omnibus animalibus antecellit: intellectus igitur honoratius est & melius quod est in eo. Haec enim ipsa sunt Auerrois verba.

Ego vero his omnibus tum obiecti conditionem, tum facultatis naturam addam. Ex obiecto quippe facultatum naturam diiudicare oportet. At verum intellectus obiectum, si absolute & per se, non per ordinem ad aliud, consideretur, nobilissimum est bono: quod voluntas querit: entitati namque propinquius. Operatio autem intellectus tam efficax est & divina, ut ad se omnia trahat, sibi assimilat, atque in seipsum transferat, omnia in se concipiendo ac mirabiliter parturiendo. Ita intellectus intelligendo fit omnia. Voluntas vero tam est infirma & imbecilla, ut à quibusvis, vel abiectissimis, volitis rebus rapiatur & in eorum protinus naturam commutetur. Quod si perpendas habitus, qui ad utramque pertinent facultatem; ij vel naturales sunt vel supra naturam, vel inquam natura viribus comparati, vel à Deo tributi. Si de priori genere sit sermo; habitus intellectus absolute, ut habitus sunt, moralibus praestant virtutibus; etsi in his ratio virtutis magis eluceat sitque perfectior. Quorum utrumque scit sanctus Thomas & Caietanus in prima secundae quaest. 66. artic. 3. disputarunt. Si autem de posteriori loquamur; fateor, dum hic vivimus, praestat omnibus caritas in voluntate: ac post in intellectu lumen accedet gloriae, quod caritate perfectius est; quemadmodum Capreolus & Caietanus docuerunt.

DE INTELLECTILI obiecto & intellectu.

CAP. VIII.

TEXTVS.

Η μηδ' αὐτὸ τὸ ἀδιαιρέτην γένος ἐν τέλει, πρὸς δὲ ἄνεστι τὸ ψευδὸς ἐν οἷς τὸ ψευδὸς ἐν τῷ ἀληθὲς, οὐ μὴν οἷς τῆς ἰδῆς γενεῶν, ἀσπὲς ἢ ὄντων, καὶ οὐδὲ ἐμπροσθεν ἔφθ, ἢ πολλὸν πρὸ κέρου ἀσπὲς ἐλάττωσαν. Ἐπιπύνα οὐκ ἴσθηδὲ τῆ φιλιῶ, ὅτι καὶ ταῦτα κερῶ εἰς ἰδῆς οὐκ ἴσθηδὲ, ἀλλ' οὐ τὸ ἀσπὲς ἔφθ, ἢ δὲ ἀμειντος.

Imparibilibus igitur intellectio in his, circa que non est falsum. In quibus autem falsum & verum, compositio quaedam utriusque notionum, perinde ac vnum sine: quemadmodum Empedocles dixit;

Certe multorum quidem capita sine cervicibus genuerunt, Postea amictia fuisse composita. Ita & hec separata componuntur; ut incommensurable & diameter.

COMMENTARIUS CIII.

TRia de intellectu haestenus capita nobis exposuit Philosophus. Primum, quae sit intellectus differentia: quod fuit de patibili intellectu agere. Deinde quemadmodum intellectio fiat. Ac demum de agentis intellectus necessitate & natura. Quartum nunc aggreditur. In quo Auerrois & S. Thomae sententia de intellectu operatione; Philoponi de obiecto; Simplicij tum de obiecto, tum de operatione differit. Neque ego magno opere contradicam. Nam siue de imparibilibus simplici apprehensione eorumque compositione; siue de simplicibus ipsis & compositis dicatur; perinde sanè fuerit. Etsi enim iam de intellectu vniuersè fuerit dictum, de illius tamè speciebus intellectu simplici & composita, dicendum erat. Et rursum intellectus obiectum significatum fuit entia omnia comprehendere, ubi eum ad omnia potestatem quandam esse, posseque omnia fieri, & itè omnia facere, ideoque nulli rei permistum esse, tradidit: sed nunc in simplex diuiditur & compositum.

Neque mirum, si in vegetantium & sentientium facultatum explicatione prius egit in 2. libro de obiecto, tum de facultate; hic vero prius de intellectu, quam de intellectili obiecto. Quoniam ab obiecto antea velut notiori principium fecit: ac in rationali anima notior est ac manifestior intellectus, quam intellectibile; quippe intellectum ex operatione coniectamur. Obiectum autem, si immateriale sit, ignotissimum est & ut post Simplicij dicturus est, supra animam nostram collocatum. Si vero materiale; quatenus sensibile est, iam ex sensuum cognitione cognoscebatur: quatenus autem intellectibile, non nisi ex intellectu natura perspecta cognosci poterat. Quamquam & de obiecto in superioribus non pauca significata fuerunt; dum & patibilis intellectus naturam & agentis ac patientis differentiam ex obiecto propriaque actione inuestigauit. Sed illa generalia fuerunt, nunc ad specialia descendit.

Tex. 21

Intellectus notior, quam intellectibile.